

mittendo quod sacramenta agunt, et constituuntur in actu primo per motionem, non video cur et a Christi humanitate non imprimatur.

DLXI. Ad confirmationem respondetur, quod ut supra jam dictum est, quidam censent sacramentum fecte susceptum recedente fictione non operari physice, sed moraliter. Nec hoc officit sententiæ de causalitate physica, quia intelligitur eam convenire sacramento existenti, cum existentia sit una de conditionibus requisitis ad physicam operationem. Et ita cum sacramentum non relinquat aliquem effectum, ipso non existente, non oportet admittere physicam operationem. Quod explicatur amplius, quia sacramentum est solum causa instrumentalis respectu gratiæ; unde ipsa non existente, non oportet quod aliquem effectum reliquerit in subjecto, cum solum ordinet ad instrumentaliter efficiendum principalem effectum gratiæ; quem si non efficit, non est alius, quem efficiat, et relinquat in subjecto; et sic non oportet amplius assignare causam instrumentalem physicam talis effectus.

DLXII. Nihilominus tamen opposita sententia est etiam satis probabilis, videlicet relinqui a sacramento determinationem in voluntate, quæ se sacramento subiecit; et recedente fictione, ex vi talis determinationis sacramentalis, (id est, a sacramento relicta et modificata) resultat effectus gratiæ in sacramentis quæ characterem non imprimunt. Nam ubi caractere imprimitur, recedente fictione per characterem ut effectum sacramentalem minus principalem, datur effectus principalis, qui est gratia.

DLXIII. Nec refert, quod quando non fecte suscipitur, non datur mediante caractere gratia; nam tunc

sacramentum ipsum influit formaliter, et sic non oportet ponere virtutalem influentiam, seu mediante virtute a se relicta; sicut nec tunc mediante determinatione voluntatis, in sacramentis non imprimuntibus characterem, causat gratiam, sed per seipsum. Quando tamen non adest sacramentum, sufficienter salvatur hæc causalitas physica mediante virtute aliqua a sacramento relicta; et hæc probabiliter ponitur character in imprimuntibus characterem; in non imprimuntibus autem determinatio sacramentalis, qua voluntas se subiecit sacramento. Sicut enim non est inconveniens remanere virtutalem determinationem physicam voluntatis, qua amavit finem, ut ex ea se determinet ad media; sic nec est inconveniens remanere eandem determinationem voluntatis ad sacramentum susceptum, qua se illi subiecit; et hanc determinationem a sacramento suscepto modificatam manere, ut recedente fictione gratiam operetur, cum nihil absurdi in hujusmodi virtute relicta appareat.

DLXIV. Ad id quod dicitur de gratia sacramentali respondetur, quod ut dicemus articulo sequenti, gratia sacramentalis addit supra gratiam habitualement aliquam specialem ipsi inhærentem, ad quam requirit speciale auxilium Dei; quod non obscure indicavit S. Thomas infra quæst. LXXII, art. VII ad tertium, ubi loquens de gratia, quam dat sacramentum confirmationis, ait: « Addere supra gratiam habitualement aliquid effectivum particularis effectus; » hoc autem intrinsicum esse debet ipsi gratiæ. Et in hac sententia argumentum difficultatem non habet; per sacramentum enim datur gratia simul cum hac perfectione intrinseca, li-

et effectus ejus, et auxilium ad talem effectum alio tempore sequatur. In sententia tamen aliorum, qui dicunt gratiam sacramentalem non addere intrinsecam perfectionem supra gratiam habitualement, sed solum actuale auxilium ad particulares effectus, dicendum est, per sacramentum non dari quidem istud actuale auxilium, sed dari jus et ordinem ad illud suo tempore dandum; et ita datur gratia habitualis physice per sacramenta, cui habituali gratiæ, ut per sacramentum collatæ, facta est promissio de dando auxilio ad speciales effectus pro suo tempore.

DLXV. Arguitur tertio: Non potest sacramentum esse physicum instrumentum ad creandum: ergo neque ad causandam gratiam. Antecedens est doctrina S. Thomæ, generaliter negantis instrumentum creationis 1 p. quæst. XLV, art. v. Consequentia vero probatur: Primo quidem, quia gratia non potest fieri nisi per creationem, cum non contineatur in potentia alicujus creaturæ, e qua educi possit.

DLXVI. Secundo, quia gratia est formalis participatio divinæ naturæ, ita quod Deus respectu gratiæ est agens univocum, sicut ignis ut calidus respectu caloris recepti in aqua: ergo non potest educi e subjecto, quod solum æquivoce et virtualiter habet participare Deum; in tali enim potentia contineri non potest formalis Dei participatio. Nec sufficit quod in illa producat, et fiat dependenter ab illa, si quidem non educitur de potentia alicujus forma aliqua ratione dependentiæ ab illa, aut existentia in illa, sed ratione continentia in illa, e qua continentia extrahitur.

DLXVII. Tertio probatur illa consequentia, quia ideo negat S. Thomas dari instrumentum ad creationem, quia necesse est quod instru-

mentum aliquid dispositive operetur ad effectum principalis agentis; nihil autem dispositive se habet ad effectum creationis, cum sit productio totius entis ex nihilo, et sic non datur instrumentum creationis; sed etiam nihil dispositive operatur sacramentum ad gratiam, cum gratia sit formalis et univoca participatio Dei, respectu cujus nihil est dispositio, si non sit illius ordinis; ergo non est instrumentum physicum respectu illius.

DLXVIII. Confirmatur: Sacramenta non aliter operantur physice gratiam quam mors Christi, aut ejus corpus jacens in sepulcro; sed hæc non concurrebant physico concursu; ergo neque sacramenta. Minor probatur, quia mors est nihil, et sic instrumentaliter operari non potest. Corpus etiam mortuum nullam actionem habebat, nec dispositive operationem, quæ semper præexigitur in instrumentis: ergo non poterat esse instrumentum physicum.

DLXIX. Confirmatur secundo: Deus non conservat gratiam mediante sacramento, si quidem eo transacto a solo Deo conservatur; ergo nec mediante illo jam producit, si quidem actio conservativa et productiva eadem est; ergo si conservativa est solius Dei, et non per instrumentum; etiam et productiva, quæ idem est cum illa, non erit ab instrumento, sed a solo Deo; actiones enim distinguuntur per principia a quibus exeunt.

DLXX. Respondetur ad principale argumentum, negando consequentiam. Ad primam probationem respondetur, gratiam non creari, cum producat ut inhærens, et non ut per se primo esse habens. Constat enim ex Concilio Tridentino sess. VI, can. XI Spiritum sanctum difundi in nobis per gratiam et charitatem, quæ inhæreat in anima;

quod autem ut inhærens produci-
tur, non creatur proprie loquendo
de creatione, si quidem sit depen-
denter a subjecto, et cum immuta-
tione subjecti. Sicut autem non re-
pugnat quod inhæreat in creatura,
ita nec quod contineatur in poten-
tia ejus, non secundum naturalem
ordinem et habitudinem, sed secun-
dum obedientialem. Non enim con-
tineri in potentia alicujus est aliud,
quam dependere a potentia ejus, et
esse actum dependentem a tali po-
tentia. Continetur enim aliquid in
potentia, tamquam causatum in
causa; et sicut non est esse causa-
tum aliquid a causa materiali, et a
potentia, nisi in quantum pendet
ab ea; sic nec continetur in ea, ni-
si in quantum pendere potest ab
ea. Sicut ergo pendet gratia ab ani-
ma secundum ordinem et habitu-
dinem obedientialem, sic et conti-
netur in ea obedientialiter; sicut
formæ artificiosæ continentur in
materia naturali, ad quas tamen
inclinatio naturalis non est, quia
continentur in ea obedientialiter,
et secundum dependentiam poten-
tialiam mediante ordine ad agens, a
quo reduci possunt in actum.

DLXXI. Ad secundam replicam
respondetur (et potest esse secunda
solutio præcedentis) quod gratia est
formalis participatio divini esse im-
mediata, in esse tamen diminuto,
et in modo essendi diminuto (scilicet
in esse accidentali.) Unde secundum
quod est formalis et univoca Dei
participatio, non respicit subjectum,
sed Deum, cujus est participatio; et
sic non educitur e subjecto, sed ori-
ginatur et derivatur a Deo; secun-
dum vero quod habet modum essen-
di diminutum et accidentalem, sic
respicit subjectum, in quo inhæreat,
et consequenter e quo educatur. Si-
cut formalis repræsentatio objecti,
secundum quod formalis similitudo,
non respicit subjectum, sed objec-

tum; secundum tamen quod illa si-
militudo est quædam qualitas, sic
respicit subjectum, quod est intel-
lectus. Unde gratia respectu animæ
dicit duplicem analogiam, alteram
secundum quod est formalis parti-
cipatio Dei; sic enim fundat ad ani-
mam analogiam ordinis divini et
supernaturalis ad ordinem natura-
lem et creatum: alteram acciden-
tis ad substantiam, quia illa forma-
lis participatio divini naturæ, quæ
est ordinis supernaturalis, entitative
est qualitas et accidens, sicque ana-
logatur cum anima analogia acci-
dentis; unde et ad prædicamentum
accidentis spectat, scilicet ad quali-
tatem.

DLXXII. Igitur secundum primam
analogiam gratia nec dicit inhæren-
tiam, nec educibilitatem, quia non
respicit subjectum in quo est, sed
objectum a quo est, seu principium
cujus est repræsentatio et semen:
sicut verbum secundum quod est
formalis similitudo, non respicit in-
tellectum in quo subjectatur, sed
objectum quo formaliter repræsen-
tat. Eadem tamen gratia, seu forma-
lis participatio Dei, entitative con-
siderata, habet se ut accidens, et
dicit analogiam ad animam prædi-
camenti qualitatis; sicque pendet
ab anima, et inhæret in ea, et edu-
citur ex ea; non tamen secundum
inclinacionem naturalem, sed obe-
dientialem. Et ideo hæc proportio
analogica et obedientialis sufficit, ut
recipiatur et inhæreat in ea talis
gratia; non autem requiritur pro-
portio univoca et naturalis: sicut
quodlibet aliud accidens et quali-
tas, licet analogetur cum substan-
tia, inhæret illi; imo non inhæ-
reret nisi analogaretur.

DLXXIII. Ad tertiam replicam res-
pondetur, quod aliqui (ut magister
Nugno) intelligunt D. Thomam,
quod quando dicit: « Quod instru-
mentum debet operari dispositive

ad effectum principalis agentis, »
intelligitur dispositive obedientiali-
ter, non autem dispositive naturali-
ter, seu realiter. Et ita non requiri-
tur quod aliquam dispositionem
operetur proprie loquendo, sed so-
lum quod obedientialiter se habeat
ad hoc, quod moveatur a Deo. Et
hæc obedientialis susceptio motio-
nis divinæ, quæ in qualibet entitate
reperitur, est sufficiens ut instru-
mentum agat ad effectum princi-
palem, quia sicut quando agens est
efficacius et activius, tanto potest
debiliori et minus apto instrumento
effectum operari: ita quando sum-
me activum est, solum requirit in
instrumento aptitudinem entitati-
væ, id est, quod sit ens, ut possit
instrumentaliter agere.

DLXXIV. Cæterum in hoc mihi vi-
detur peti principium, nam D. Tho-
mas intendit probare, quod nulla
creatura potest elevari ad hoc ut sit
instrumentum creationis; ac adeo
quod non potest obedientialiter se
habere respectu hujus effectus.
Idem enim est elevari ut instrumen-
tum, et obedientialiter dispositive
se habere, et recipere motionem di-
vinam. Si ergo D. Thomas probat
quod non potest creatura, etiam
obedientialiter, esse instrumentum
creationis, quia oportet quod dispo-
sitive obedientialiter se habeat ad
talem effectum, id est, suscipiat
motionem ipsam a Deo, quæ sus-
ceptio est obedientialis dispositio et
opératio, probaret idem per idem.
De hoc enim est difficultas, quare
non potest creatura obedientialiter
se habere ad creandum, et suscipe-
re illam motionem infinitam, si qui-
dem non est inconveniens, quod
infinita motio sit instrumentaliter
in creatura, ut patet in conversione
transsubstantiali, et productione
gratiæ.

DLXXV. Respondet Nugno, quod
eo ipso quod reciperetur motio di-

vina ad creandum, jam motio esset
creata, atque adeo non esset actio
respicens ens creabile in quantum
creabile, si quidem jam supponeret
aliquod ens creatum, scilicet ipsam
motionem et ipsam creationem, quæ
est instrumentum, et sic non ter-
minaretur ad ens in quantum ens,
si quidem supponeret aliquod ens
creatum.

DLXXVI. Cæterum hæc solutio
non satisfacit, quia quando dicitur,
quod creatio terminatur ad ens in
quantum ens, intelligitur ad omnem
gradum entis pertinentem ad ter-
minum qui creatur, non autem ex-
tra talem terminum; hoc enim im-
pertinens est. Nam si Deus modo
creat Angelum, vel quando creat
animam unius pueri, sufficit quod
illa actio attingat omne ens perti-
nens ad Angelum qui creatur, et ad
animam quæ creatur; non autem
quod habeat pro termino ad quem
omne ens, sive pertinens ad Ange-
lum qui creatur, sive non pertinens;
alias ut Deus modo crearet Ange-
lum, deberet creare et attingere
omnem creaturam. Si ergo non re-
quiritur quod attingat omnem crea-
turam et omne ens, sed solum illud
quod est de ratione termini produc-
ti per creationem: ergo quod præ-
supponatur aliqua creatura, quæ
suscipiat motionem ad creandum,
non facit quod præsupponatur ali-
quid de termino ad quem; et ita cur
illa talis creatura non poterit susci-
pere illam motionem, sicut modo
quando Deus creat unam animam,
cur non poterit assumere Angelum,
qui jam creatus est, et per illum
creationem attingere, ut sit instru-
mentum creationis animæ?

DLXXVII. Quare dicendum est, quod
quando S. Thomas docet instrumen-
tum dispositive debere operari per ali-
quid sibi proprium ad effectum prin-
cipalis agentis, non debet necessa-
rio intelligi de dispositione producta,

sed sufficit quod intelligatur de dispositione producente, seu modo producendi creaturæ. Operari enim dispositive potest intelligi, vel quia producit et operatur aliquid, quod sit dispositio ad effectum principalem, sicut qualitas est dispositio ad formam substantialem; vel potest intelligi, quod dispositive operatur ad effectum principalis agentis, quia præbet dispositionem seu modum operandi proprium, cui debet se accommodare modus operandi principalis agentis.

DLXXVIII. Unde oportet notare, quod D. Thomas quæstione XLV, articulo v, non dixit instrumentalem causam debere operari effectum aliquem, qui sit dispositio ad effectum principalis agentis, licet in exemplis quæ adducit, quia sunt ad sensum manifesta, id inveniatur, ut manuducat ad instrumenta divina, sed dixit quod instrumentum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Illud autem verbum dispositive operatur, recte intelligitur de dispositione operante, non operata. Repugnat autem dispositionem aliquam operantem dari circa creationem, eo quod dispositio operans, est mutatio, quia habet actionem inhærentem, et consequenter ipse terminus non est ex nihilo. Et in hoc sensu verificatur respectu omnium instrumentorum, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quia agens principale, quando mediante instrumento operatur, oportet quod actio illa, et si virtutem et activitatem habeat a principali agente, modum tamen habeat ab instrumento, quia necesse est quod actio illa ab instrumento exeat, et ita exeat secundum modum instrumenti, et propriam ipsius dispositionem in agendo; et hoc est operari dispositive secundum aliquid sibi proprium, id est, secundum proprium modum agendi, a

quo veluti a dispositione modificatur activitas et actio causæ principalis, seu ut a dispositiva ratione operandi.

DLXXIX. Ex quo fit, quod cum modus proprius operandi cujuscumque creaturæ sit ex aliquo præsupposito, quia impossibile est actionem creaturæ esse nisi immutativam; cum enim actio creaturæ sit accidens oportet in aliquo recipi, quod per illam immutetur. Sicut ergo repugnat actionem creaturæ non esse accidens, et non esse mutationem, ita repugnat quod exeat a creatura actio creativa, quæ non sit accidens, neque mutatio, cum sit ex nullo præsupposito, et in nullo recepta. Ut autem creatura sit instrumentum creationis, oportet actionem exire ab ipsa, et consequenter secundum modum proprium operandi creaturæ se habere, id est, et quod sit accidens, et quod sit mutatio. Repugnat ergo quod sit instrumentum creandi; quæ omnia non currunt in productione gratiæ, cum et ipsa sit accidens, et per mutationem subjecti fiat. Quare quando substantia (quæ solum potest esse creationis terminus) per actionem creativam producitur, cum actio illa non supponat subjectum in quo recipiatur, oportet quod non sit accidens, sed substantia; et a quocumque agente repugnaverit procedere actionem, quæ sit substantia, repugnat etiam procedere actionem quæ sit creatio.

DLXXX. Ad primam confirmationem respondetur, quod mors Christi, secundum quod est nihil, non assumitur ut instrumentum divinitatis; sed ut in corpore illo unito divinitati dicit mutationem illam physicam, in qua fundatur privatio mortis. Mors enim, cum privatio sit, in aliquo fundatur. Unde dicit S. Thomas III parte, quæstione XLIX, art. VI, quod mors in facto esse, se-

cundum quod dicit separationem animæ a corpore, operabatur per modum efficientiæ; in quantum scilicet nec per mortem divinitas fuit separata a Christi carne; et ideo quidquid contigit circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum. Quare non ipsa privatio mortis, sed caro Christi mortua fuit instrumentum divinitatis.

DLXXXI. Quod autem additur, corpus mortuum non habuisse aliquam actionem, jam supra diximus potuisse habere aliquam, scilicet contactum aliquem, vel infrigidationem, aut humectationem, aut motum; ac denique tale fuit illud corpus, quod ex illo prodire poterat aliqua actio immutativa, quæ sufficit ut divina virtute moveretur ad opus supernaturale; et ita movebatur motu spiritali intenti objecti, seu usu passivo Dei agentis principalis. Et ita habes solutionem et pro his qui requirunt instrumentum non omnino quiescens, sed movens, et pro his, qui dicunt sufficere entitatem motam a Deo, licet in se sit quiescens; quod latius prima parte de creatione habetur.

DLXXXII. Ad secundam confirmationem respondetur, non esse necessarias easdem causas pro productione rerum, et pro conservatione; præsertim quando causæ sunt instrumentales. Nam animal producitur mediante semine, non tamen conservatur ab illo; et species in memoria existentes fiunt per sensus externos, et ab objectis externis, non tamen conservantur ab illis; et Deus se solo conservat accidentia, quæ per causas naturales dependent a subjecto producta fuerunt. Sic ergo licet mediante instrumento exierit actio productiva gratiæ, tamen cessante influxu instrumentali, quia transit instrumentum, manet divina virtus et actio, quæ in instrumento fuit, conservans sine instrumentis quod produxit.

DLXXXIII. Arguitur quarto: Causa moralis excellentior est quam physica: ergo multo excellentius tribuitur Christo et sacramentis, quam physica. Antecedens probatur, nam excellentius operetur rex, aut prætor imperans, quam executor talis imperii: ergo excellentius operatur causa moralis, quam physica.

DLXXXIV. Confirmatur: Ubi non est contactus physicus, sed distantia, agentia corporea et physica non operantur physice: ergo humanitas Christi in cælo existens, et sacramenta non attingentia animam vel hominem (ut quando inter distantes fit matrimonium aut penitentia) non poterunt instrumentaliter concurrere.

DLXXXV. Confirmatur secundo, quia respectu gratiæ antiquorum patrum passio Christi non habuit influxum physicum, si quidem nondum erat exhibita, et solum operabatur ut pretium separatam redemptionis humanæ; quæ causalitas solum moralis erat: ergo etiam respectu nostræ gratiæ non se habet humanitas et passio Christi ut realiter influens. Patet consequentia, nam inconueniens est, quod unum caput in quædam membra influat physice, in alia solum moraliter: ergo si constat, quod in aliqua solum moraliter influat, non est cur ponamus hunc physicum influxum in nostram gratiam.

DLXXXVI. Respondetur distinguendo antecedens. Causa moralis excellentior est quam physica; in actionibus quæ utilitatem et inferioritatem important, concedo; in his quæ dignitatem dicunt, nego antecedens, nam etiam in politicis digniores actiones non solum moraliter, sed et physice fiunt ab his, qui digniores sunt. Causare autem gratiam est maximæ dignitatis, et ideo singularem excellentiam dicit causatio physica illius, et præsertim in